

eorum valeant promoveri. Quod scelus, quia omnis sacra Scriptura contradicit, quia sanctum et venerandum Nicænum concilium vetat ne sacerdotes cum feminis habitare præsumant, multo magis ne copulari vel sociari mulieribus debeant, juxta sacros canones modis omnibus prohibemus. In Neocæsariensi namque concilio ita habetur (*Can. 1*): « Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Et qui in tali scelere fuerint reperi, nostra apostolica auctoritate ab omni priventur honore. » Filii vero eorum immunes ab eorum peccato sunt, dicente propheta: *Filius non portabit iniquitatem patris (Ezech. xviii)*, et in sacro baptismo omnia dimittuntur peccata.

Dehinc perquisivit si a chorepiscopo ecclesiæ debeant consecrari, aut presbyteri ordinari, vel consignatio chris-matis et manus impositio fieri. Quæ omnia a chorepiscopis ne fiant interdiximus juxta canonum decreta. In concilio Antiocheno, capite decimo, sic habetur: « Qui in vicis et possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint, tamen sanctæ synodo placuit ut modum proprium recognoscant, et gubernent subjectas sibi ecclesias, ordinent etiam lectores et subdiaconos atque exorcistas: quibus promotiones istæ sufficiant, nec presbyterum, nec diaconum audeant ordinare. Si quis autem transgredi statuta tentaverit, depositus, quo utebatur honore privetur. »

Perquisivit etiam si vir et mulier tertio vel quarto gradu consanguinitatis conjuncti, et inscii, conjugio copulantur, postea Dei respectu compuncti, ostendunt se sacerdoti secrete confitentes peccata sua, utrum valeant eleemosynarum largitione ac bonorum operum exhibitione purgari. De talibus enim personis in Veteri et Novo Testamento multa reperiuntur exempla, maxime in conciliis Gregorii et Zachariæ, in quibus hæc continentur, ut conso-

brinam, novercam, neptem, fratris uxorem, nurum, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuit, nullus conjugio præsumat sibi copulare. Si quis vero hoc nefario conjugio convenerit, et in eo permanserit, sciat se auctoritate apostolica anathematis vinculo innodatum, et nullus sacerdos ei tribuat communionem; et si inclinatus divisusque fuerit ab illicita copula, pœnitentiæ submitatur, ut sacerdos loci consideravit.

De vastatoribus autem ecclesiarum unde inquisivit, nihil aliud scribimus, nisi quod Paulus apostolus ad Timotheum scribens ait: *Argue, increpa obsecra cum omni imperio (II Tim. iv)*.

His vero omnibus prælibatis, fraternitatem vestram monentus, per hanc nostram apostolicam jussionem, ut huic Gerardo archiepiscopo, cui vicem nostram in cunctis finibus vestris commisimus, in omnibus quæ ad ecclesiasticum ordinem pertinent, obediens et adjuvator sitis, quatenus in una concordia persistentes, ut ecclesiastica jura et christianitatis religio in vestris partibus, quæ paganorum incursione et malorum Christianorum persecutione corrupta et depravata esse videntur, Domino largiente, et beato Petro apostolorum principe cooperante, ac rectitudinis normam valeant reformari, et vos in futuro examine securi possitis audire vocem Domini, dicentis: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui (Matth. xxv)*.

Præter hæc Eberardo duci Bavariorum nostra auctoritate injungimus ut præfato Gerardo archiepiscopo in omnibus auxilium præstet, ut suæ Ecclesiæ status et rectitudo ac proprius vigor ad integrum culmen et priscum decorem suo juvamine valeat pervenire, si Dei indulgentia, et sancti Petri etiam, suorum delictorum a nobis vult accipere remissionem.

ANNO DOMINI DCCCCXLII.

## STEPHANUS PAPA VIII, *al.* IX.

### NOTITIA HISTORICA.

(Apud Cocquelines, Bullarum, Privileg. Rom. pont. ampl. Collect.)

Stephanus octavus, aliis nonus, quem natione Germanum fuisse plerique omnes scribunt, Leoni VII statim subrogatus, ordinatur mense Julio anno 939 (exstant enim in quarto Vignolii catalogo hæc: *Hujus tempore, scilicet anno Dominicæ incarnationis 939, obscuratus est sol ab hora secunda usque ad horam tertiam mense Julii, die 19, indictione xii*). Sedit itaque in pontificatu annos iii, menses iv, dies xv. Quare Stephanum obiisse dicendum est die 2 vel 3 mensis Decembris, anno 942. Corpus ejus in basilica principis apostolorum tumulatum est.